

orationis, quæ rem constituat penè ante oculos. Is enim maxime sensus attingitur. sed cæteri tamen, & maxime mens ipsa moueri pōt. Sed quæ dicta sunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illustrem omnia. Est. n. plus aliquanto illustre, quam illud dilucidum. altero sit, ut intelligamus, altero uero, ut uidere uideamur. Suaue autem genus erit dicendi, primū elegantia, & iucunditate uerborum sonantium, & lenium: deinde coniunctione, quæ neq; asperos habeat concursus, neq; disiunctos, atq; hiantes, & sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritū uocis apto, habeatq; similitudinem, æqualitatēm que uerborum, tum ex contrarijs sumta uerbis crebra crebris, paria paribus respondeant, relatāq; ad idē uerbum, & geminata atq; duplicata, uel etiam sæpius iterata ponantur: constructiōq; uerborum tum coniunctionibus copuletur, tum dissolucionibus relaxetur. Fit etiam suauis oratio,